



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Contra Malignvm Io||hannis Eccii Ivdici-||vm, Svper
Aliqvot || Articvlis, A Fra||tribvs Qvibvs||dam Ei
Svppo-||sitis, Mar||tini Lv-||theri || Defen||sio**

Luther, Martin

[Leipzig], [1519]

VD16 L 4252

Articvlvs Tertivsdecimvs. Deum praecepisse homini impossibilia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-32690

tra gratiam fiunt, nihil esse. Deinde, soli fidei sine operibus legis, iux-
ta Paulum, tribui iusticiam. Tum fratres illi, neque quid opera legis,
neque quid opera bona significant docti, pro operibus legis, quæ ne-
cessaria non sunt immo, noxia sunt, posuerunt opera bona. Nam,
quid de lege, aut operibus legis scirent, quibus? professio est, nihil vel
le discere, nihil scire, sed visiones capitis sui pro pugillo ordei, & fra-
gmine panis (vt Ezechielis verbis dicam) miserimo populo incul-
care. Stat ergo sententia,

Non sunt necessaria, immo sunt noxia, opera legis cuiuscumq;
Sed necessaria sunt & salubria, opera bona quæcumq;.

ARTICVLVS TERTIVSDECIMVS.

Deum præcepisse homini impossibilia.

Hic multas conuehens auctoritates scripturæ, in quibus iugum
Christi leue, Matth. xi. Mandata non graui. i. Iohan. v. Quæ, dispe-
ream, nisi simulet, aut penitus ignoret, quid velint. Dixi supra, Ec-
cum mecum sentire, quod lib, arb, sine gratia non valet, nisi ad pec-
candum. Obsecro, quæ tandem est tabes tanta inuidiæ, hanc nostræ mi-
seriæ & impotentæ scientiam, abscondere a fratribus nostris? Si non
valet nisi peccare homo, quomodo non sunt impossibilia et omnia
mandata dei? Pereat ista maledicta sophistarum simulatio & disti-
mulatio, quæ aliud nihil facit, quam quod aliud hic, aliud ibi dicit ad
seducenda corda simplicium. Dico ergo, mandata dei, etiam le-
uissima & minima, sunt homini impossibilia per seipsum. Sed cum
gratia dei sunt facillima vt Apostolus, Possum omnia in eo, qui me
confortat. Qui alibi dicit, Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex
nobis, tanquam ex nobis. Cur enim oramus, voluntas tua fiat, si
sunt possibilia nobis? Recte ergo dicit Hiero, anathema esse, qui dixe-
rit impossibilia esse mandata dei sed non negauit nobis esse impossi-
bilia deo oia sunt possibilia, nobis nihil est possibile. Sicut dicit psal.
c. xxxvij. Nec sermo est in lingua, q̄to minus op̄ est in manu meâ.

Hanc elucidationem peruit Eccius dare, sed noluit ne non haberet
quod in me criminaretur, & calumniaretur. Plus eum delectat, inui-
diam mihi mouere, quam proximos veritatem docere. Malletq; om-
nes homines in errore perire, quam tabidam suam inuidiã nō explere.

Transio illud Deutro. xxx. Non est trans mare. &c. quod tanta in-
scitia tractat, vt insanire verius videatur, quam loqui suo hæc tēpori.

ARTICVLVS QVARTVSDECIMVS.

Christus nihil sibi meruit, sed tantum nobis.

De hac propositione ipse adhuc dubito quia omnia erant Christi
D